12

130

S. Non existimo Arontium ad nos venturum. Nihil
enim ad literas nostras rescribit. Et, si oblata
ei reditio grata esset, haud dubito, quin omni
festinatione huc properaret. itaque, quoniam
de alio professore Rhetorices nobis cogitandum
est, suaserim, ut Christophorus Pannonius,
qui hos tibi affert, in locum Arontii surrogetur, eique
stipendium illius decernatur. Est enim non tantum ~~ex~~
eximia eruditione, sed suavitate morum praeditus.
Nec minus in scribendo versu, quam in soluta
oratione valet. Extant enim quaedam eius
carmina edita, quae doctis valde probantur.
Ad haec magnum legendi ac docendi usum habet,
quia Vitebergae & alibi in publico iam primarium praelegit. Verum ipse nec ambit conditionem,
nec recusat locare nobis suam operam, si ad
munus docendi vocetur. X ideo ne tenebis
expectatione eum diu suspensum, ne forte
mutet voluntatem, in quam multis a me
persuasionibus vix adductus est. Spero
omnino Academiam nostram fore florentem,
si modo professores idoneos habuerimus,
ut est Pannonius hic, quem summo tibi
studio commendo. Et utinam plures nossem,
huius similes, quos huc pertraheremus.
Nunquam enim nostrae Academiae status recte formabitur, nisi semidocti, qui praeesse
re literariae parum queunt, & ~~qui~~ cothurnati,
qui nulla in re voluntati principis obsequuntur,
omnes exierint. Qua de re, ubi adveneris, colloquemur. Vale V. augusti. Anno
M.D.XL. Francfordiae ad Oderam Sabinus.

X Habet enim alibi stipendium multo amplius, quam nos hic conferre queamus est.